Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8136
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



Tertium

nunc et in perpetuum. Pater omnipotens, te semper laudat, te adorat, te glorificat omnis creatura tua. Tibi angeli, tibi celestia omnia, tibi cherubim et seraphim incessabili voce proclamant: Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt caeli et terra maiestatis gloriae tuae. Te gloriosus apostolorum chorus, te laudabilis prophetarum numerus, te candidatus martyrum exercitus laudat. Te per orbem terrarum sancta confitetur ecclesia, patrem immensae maiestatis, venerandum tuum verum et unicum filium, sanctum quoque paraclitum spiritum. Tu rex gloriae, Christe. Tu patris sempiternus es filius. Tu ad liberandum suscepturus hominem non horruisti virginis uterum. Tu mortis aculeo devicto credentibus regna caelorum aperuisti. Tu ad dexteram dei sedes in gloria patris. Iudex crederis esse venturus. Te ergo quaesumus, tuis famulis subvenire, quos pretioso sanguine redemisti. Aeternam fac cum sanctis tuis in gloria numerari. Salvum fac populum tuum domine et benedic hereditati tuae. Et rege eos et extolle illos usque in aeternum. Per singulos dies benedicimus te. Et laudamus nomen tuum in saeculum et in saeculum saeculi. Dignare domine die isto sine peccato nos custodire. Miserere nostri domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua domine super nos, quemadmodum speravimus in te. In te domine speravi, non confundar in aeternum. Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis. Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum. Sicut oculi ancillae in manibus dominae suae. Ita oculi nostri ad dominum deum nostrum donec misereatur nostri. Miserere nobis domine, miserere nobis. Quoniam multum repleti sumus contemptu. Quoniam multum repleta est anima nostra opprobrium abundantibus et contemptus superbis. Ad te domine levavi animam meam. Deus meus in te confido non erubescam. Neque irrideant me inimici mei. Etenim universi qui te sustinent non confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes vacua. Viam tuam domine demonstra mihi. Et semitas tuas doce me. Dirige me in veritate tua et doce me. Quia tu es deus salvator meus. Et te sustinui tota die. Memento miserationum tuarum domine. Et misericordiae tuae quae a saeculo sunt. Peccata iuventutis meae et ignorantiae meae ne memineris. Secundum misericordiam autem tua memento mihi tu propter bonitatem tua domine. Dulcis et rectus dominus propter hoc legem dabit delinquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio. Docebit mansuetos vias suas. Omnes viae domini misericordia et veritas. Quaerentibus testimonia eius et mandata eius. Propter nomen tuum domine propitiabis peccato meo multum est. Quis est iste qui timet dominum? Legem dabit ei in via quam elegit. Anima eius in bonis habitabit. Et semen eius haereditabit terram. Haereditas domini timentes eum. Et testamentum ipsius manifestabitur illis. Oculi mei semper ad dominum quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos. Respice in me et miserere mihi quoniam unicus et pauperus sum ego. Tribulationes cordis mei dilatatae sunt. De necessitatibus meis eripe me. Vide humilitatem meam et laborem meum. Et dimitte omnia delicta mea. Respice inimicos meos quoniam multiplicati sunt. Et odio iniquo oderunt me. Custodi animam meam et eripe me. Non confundar quoniam speravi in te. Innocentes et rectitudines adhaerebunt mihi quoniam sustinui te. Redime deus israel ex omnibus tribulationibus suis. Ecce benedicite dominum omnes servi domini. Qui statis in domo domini in atriis domus dei nostri. In noctibus extollite manus vestras in sanctum et benedicite dominum. Benedicat te dominus de sion qui fecit caelum et terram. Benedicite omnes angeli eius. Benedicite omnes virtutes eius. Benedicite sol et luna. Benedicite omnes stellae caeli. Benedicite omnes imbres et ros. Benedicite omnes spiritus dei. Benedicite ignis et aestus. Benedicite frigus et aestus. Benedicite rores et pruina. Benedicite gelu et frigus. Benedicite glacies et nives. Benedicite noctes et dies. Benedicite lux et tenebrae. Benedicite montes et colles. Benedicite omnia germinantia in terra. Benedicite fontes. Benedicite mare et flumina. Benedicite cetus et omnia quae habitant in aquis. Benedicite omnes volucres caeli. Benedicite omnes bestiae et pecora. Benedicite filii hominum domino. Benedicite israel domino. Benedicite sacerdotes domini domino. Benedicite servi domini domino. Benedicite spiritus et animae iustorum domino. Benedicite sancti et humiles corde domino. Benedicite ananias azarias misael domino. Laudate et benedicite domino. Benedicamus patrem et filium cum sancto spiritu. Laudemus et benedicamus deum. Benedicite omnes angeli domini domino. Benedicite omnes virtutes domini domino. Benedicite omnes sancti domino. Benedicite omnes spiritus et animae iustorum domino. Benedicite omnes